erat fama tranquillas illic res, & optimo loco esse. Scilicet non coeunt lichumq; & ferrum. nec dum adest optatum illud tempus quum lupis, & agnis magna erit concordia: & cum columbis habitabunt sibi aquilæ societatem. De vestris rebus etsi sint in arctum nunc coacta, nolite anxiè laborare. Generosa virtus ejusmodi flatu accenditur. Deus in medio cœtu vestri præsidet, non nutabit; Deus illi maturè opem feret. Non semper succensebit suis precantibus: neq; perpetuo nos subsannabunt inimici nostri. Multum præsidij præbet oratio, quæ nixa Mediatoris intercessione: ex humili cordis affectu exarsit. Quod si propter implacatum odium, & indomabilem pertinaciam ingruat aliqua dissipatio: (nihil enim tam insignis, claustrisq; Dei positum est, quo non obrepat malignitas, & perfidia) educet vos Dominus ex ista fornace in Latitudinem, rebusq; vos præficiet amplioribus, qui in exiguis curis tam vigiles tamq; intenti fuistis. De statu Hollandiæ quod quidem ad Ecclesias & nouam scholam attinet sex Taffino prohrè testio certiorem factum esse. Si est, quod me juuet, ne celato. A socero sex orbis tabulas accepi. Cum veneris dabimus tibi electionem. Queritur grauiter de occultis morsibus Henrici Geldorpij: ea res mihi tam molesta est, vt nihil supra. Talem virum, qui studio juuandi communem eruditionem, se semper totum impendit: semperq; innocenter domi vixit, nullo neq; suo, neq; amicorum consilio, his propè jam viginti annis hanc insanabilem hirudinem excutere potuisse. Sed Deus judicet populum suum: Dn. Polyander, nescio an meas postremas acceperit. Amo virum & Deum oro vt liberet ipsum ab importunis hominibus καὶ ἀπὸ τῶν τὴν ἀτοσαβίαν ἐργαζομένων. Valete in Christo qui est vita nostra. Conjux, mater, soror, Affinis. Polyander cum vxore & liberis tum ipsis, tum vestris. 3 Calendas Septembris in schola ad Plutenum S. S. 7. S. Leodegarium cum pia conjuge noli præterire neq; Leuineum Romer cum honestis. vxore. Hospes vester

hirudinem excutere

Mea alethea vos salutat.

Nr. 252)

Pax Christi.

Johannes Molanus

Ml. fran. 2 fasc. Epist. gal. 2 vol.

Nescis generose vir quid nobis acciderit. Id dum breuiter commemoro, quæso vt velis tantisper patientiam accommodare. Sexto Calend. Septembris. 7. S. Bremam cum tribus liberis veni. Conjunx Liuini de Somer veteris hospitis nostri in cerulea cruce Emdæ. Diuertit ad Conradum Cocum, vbi publicum diuersorium est Mercatoribus vltrò citroq; commeantibus. Illic quieuit diem vnum. Quinto Calend. accessit ad eos tum viros, tum fœminas, quos habebat in hac vrbe conjunctissimos. Tentauit suos Liberos eorum fidei committere, sed frustra. Videbant enim eam rem plenam periculi esse. Quum nihil apud amicos efficeret: Quarto demum Calend. ad me iuit. Repugnauimus diu multumq; ego & vxor mea, ne in familiam nostram reciperentur. Ex illo Emdensis pestilentiæ incendio venientes non posse sine magno discrimine intromitti. Præsertim quum videret tantam mihi domum esse, tantam juuentutem. Respondit illa Liberos suos plusquam mensem totum in horto quodam suburbano, remotos ab vrbe delituisse, de contagione nullum metum esse. Breuiter, tot addidit preces, tam blandè mulier dixit, vt annueremus. Adduxit ergo sub vesperum filium vnum & filiolas duas, quibus apud nos relictis Emdam postridiè prima luce contendit. Quid faceremus? Conjunximus liberis nostris, cum his fuit vna mensa, vna diæta, vnus

[E Hier. a. 12 Nr. 238]

lusus,

lusus, vnum cubile. Valuerunt vnum diem, & item alterum: Mox filiolus cui Petro Somerio nomen erat, inter manus nostras nequicquam succurrentibus medico & chirurgo, excessit, receptus in eorum numerum qui EMDAE uti peste feliciter in Domino obdormierunt. Lumus re cognita: filias revocauit. Hic sanè casus ægritudinem nobis attulit, & anxietatem. Deus tamen cujus ineffabilis bonitas nunquam satis laudari potest, hactenus Scholam & familiam nostram incolumem conseruauit. Instamus tamen nobis ipsis, cum solicitudine & precibus incerti rerum futurarum. Sensi annis superioribus in morte filij dulcissimi & dilectissimæ Conjugis, veteratorium esse hoc contagium, & cum credas omnia jam in tuto esse, ex insidys repente recrudescere, multoq; atrocius sævire. Ecce dum has ad te litteras paro, elapsis jam septimanis tribus post pueri mortem virini nostri Chirurgi uxor, qui curauit puerum mortuum, & pollinctor fuit, de improviso correpta, interyt. Heri sepulta est, multis stomachantibus, quasi ego his malis ortum dedissem. Dominus profugium est mihi, qui me in adversis rebus tuebitur, & liberationis gaudio perfundet. Adjuuate nos vestra intercessione. De quibus pueris ad me scripsisti. alterum quem ducebat Mater lubens recepi, alterum recepi quidem, sed tamen invitus. Est enim ea valetudine (quod dixi quidem ejus patri) ut hoc quidem tempore paruam aut nullam studijs operam navare possit. Laborat perpetuo fluxu aurium collecta sorde dolentium. Tum autem (quam de re pater ngs certiores non fecit) quarto quoque die corripit eum lenta febris, quæ afflixit miserum, cogitq; totum tempus promeridianum esse in lecto. Experiemur omnia, si poterit juvari exquisita victus ratione, & diligentia, non excludetur receptus: sin invenirit his morbis remedium non poterit, ante asperam hyemem patri restituetur. Ex more hujus Scholæ (cinqua nullum pendituri didactrum) dederunt parentes pro initiatione Rectori duos daleros, hic vnum, & illa vnum. Sed quia ex adolescente postea cognoui, eos esse fortunis & patria excussos, alterum dalerum retuli in rationem accepti, ut in libros, & alias puerorum necessitates eum impendam, nolim videre aut etiam esse nimis avidus pecuniæ. Dimidium plus toto. Ideis ductum velim si quando ad te venerint. Vale cum honestissima conjuge. Brenæ. 21. Septemb. 1.5.7.5. filius tuus jam fere levatus est. Valet.

Johannes Molanus.

Lar Christi. [Lyra Commelinus]

Nr. 253] Quanquam nihil est singulare, quod nunc scribam, mi Præceptor tamen hunc præsentem tabellarium & aliquid otij nactus, nolui officio meo deesse. Video enim redimendam esse nobis omnem occasionem, non tantum eo sensu quo Ephesios suos monet APOSTOLVS, quoniam dies mali sunt: verum etiam alio, quem nobis tot funesta exempla oboculos ponunt. Vult ille non Ephesios modò, sed & nos qui in fine sæculorum incidimus, quò corruptiores sunt hujus sæculi mores, eò magis in omnes pietatis occasiones intentos esse, neq; aliud nobis ipsis quam Domini voluntatem proponere. At nunc nos eò recidimus, vt si quem amicum conuentum, consulatum, aut rei alicujus certiorem factum velimus, id nos maturè facere oporteat, priusquam aut morbo aut morte quæ celeri gradu morbum subsequitur, præpediamur. Docent id nos quotidiana exempla, & spectacula, vt hodie nusq; ne in templis quidem, imò nec domi suæ quisquam comparcat frequentius, atq; in cæmiterijs, quæ totum diem, deducendis amicorum aut vicinorum funeribus obtecta & oppleta cernuntur. Quin ipsi etiam qui ipsi alios terræ mandarunt, non multò post ijsdem pheretris

impositi

Johanni Molano Brenæ